DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
METASTASIUM NATURA ET CAUSSIS

QUAM
INCLYTI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRANCOFURTANA
AUCTORITATE ET CONSENSU
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
LEGITIME CONSECUTURUS
A. D. XXVII. MARTII MDCCCIX.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS FRIDERICUS PETERS
ANCLAMENSIS

FRANCOFURTI AD VIADRUM
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Frankfurt a/d. O.

VIRO

EXPERIENTISSIMO

ATQUE DOCTISSIMO

JOANN. CAROL. PHIL. PETERS

MEDICINAE DOCTORI CIVITATIS ET CIRCULI ANCLAMENSIS PHYSICO FELICI ARTIS SALUTARIS USU HAUD INCELEBRI

PATRI OPTIMO
AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDII MEDICI PRIMITIAS

IN

PIETATIS ATQUE GRATI ANIMI
TESSERAM

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR

§. I.

Veteres, quotiescunque partis aut systematis cuiusquam affectu subito fugato, corpus alibi morbo simili aut dissimili ceu prioris vicario affligi viderent, metastasis titulo hunc rerum eventum largiti sunt. Cuius rationem sibi reddere conati, ad diversa opinionum commenta confugerunt, quorum hoc unum tantum de materiae morbificae translocatione attingere velim. Ita vero morbi caussam proximam in latice quodam praeternaturali eoque huc illucve per corpus mobili quaerentes, utique non secum reputa-

runt,

runt, quamlibet abnormis indolis materiam secretam alienatae vis vitalis energiae in organo secernente actuosae, ceu veriori caussae tribuendam esse, quamvis et passim chemicas materiae fluidae decompositiones secretionibus insolitis ansam dare posse, nemo negaverit. Quid multa? in statuenda metastasis notione non tam sinceras observationes, quam potius humoristarum figmenta et receptam inprimis de natura crisin ultra moliente opinionem secuti sunt.

§. II.

Nec ipsam adeo illam, quam celebri Brandisio *) debemus, metastasis definitionem generalem, omnibus numeris absolutam judicaverim. „Simulatque, inquit, or„gani cujuspiam systematisve organici actio„nes diminuuntur aut penitus cessant, vel „ge-

*) *Versuch über die Metastasen* 1798. p. 8.

„generatim univerſimque ad conſervandam „organismi integritatem non ſufficiunt; novæ „in aliis organis exſurgunt actiones vegetæ, „quæ priorum partibus agendis damnum cor„pori illatum plus minus reſarciunt.“ Has igitur *vicarias*, illas *primitivas* nuncupat.

Ut, quaenam ſint *actiones* istæ *primitivæ*, quæ diminutæ vel cesſantes præternaturalem vicariamque aliis partibus efficacitatem inferant, definiri posſit; ante omnia actiones *voluntarias* inter *involuntariasque* distinguere opus est, quarum postremo loco dictae præprimis ad perpetuam materiæ organicæ vicisſitudinem alendam accommodatae videntur. Quæcunque autem non voluntatis ſub imperio ſunt organa, *secernentium* numero in ſenſu latisſimo annumerari debent. Actiones ab his pendentes *necesſariæ* BRANDISIO *) audiunt. Atque has tantum ſuppresſas actiones vicariae, pariter involuntariæ, excipiunt.

Quo

*) l. c. p. 13.

§. III.

Quo magis necessaria ad conservandam sanitatis integritatem organo huic illive propria est secretio, eo facilius post hanc suppressam actiones vicariae aliis in organis comparent. Quid? quod persaepe aucta organi cujusdam secernentis, verbi caussa hepatis, efficacia ad conservandam restituendamque laudabilem virium humorumque proportionem non sufficit. Ita sub coelo calido, ubi hydrogenium, eminentius bilis elementum, vel ceteroquin undique prædominatur, non raro sub expedita largaque bilis secretione icterum oriri cernimus. Quæcunque vero habentur secretiones *necessariæ* seu organorum voluntatis influxu expertium, cutis, renum, hepatis etc. actiones primitivæ Brandisio viro clarissimo dictæ, absque metastasi seu secretione vicaria earum perturbationem subsequente subito supprimi nequeunt. Nec secretionum morbosarum, quæ semel inveteratæ magnam vim in conservandam sanitatis materiæque reliquæ integrita-

tatem adeptae sunt, veluti ulcerum exanthematumque in annos protractorum exempla satis comprobant, perinde ac periodicarum et accidentalium, ut lactis et menstruationis, citra pedissequas aliorum organorum actiones vicarias ceu malorum graviorum caussas vulgo accidit suppressio. Idem valet de secretionibus iis, quæ ob conceptas venenorum miasmaticorum injurias natæ in malis necessariis referri debent. Denique organorum secernentium morbis afflictorum actiones minus necessariæ, quales in erysipelate et herpete videmus, temere suppressae alibi corpori eidem similes aut dissimiles mutationes morbosas inferunt.

§. IV.

Quoniam nexu mutuo contineantur actiones organorum vicariæ legesque, quibus materiae organicæ miscela in universum obtemperet, ob tenuem quidem et mancam partium elementarium corpus animale compo-

nen-

nentium notitiam hodieque diligentisſimos ingenioſisſimosque viros latet. Quantum vero ratiociniis asſequi licet, corporis univerſi ad materiam componendam, ſingulorum organorum ſecernentium actiones ſymbolum ſuum ita contribuunt, ut his perverſis et mutatis, illius quoque pervertatur et mutetur qualitas. Ita nimirum aliter comparata esſe debet materiæ animalis ratio, ubi bilis, urina, ſaliva, mucus, et ſic porro, legitime ſecernuntur, aliter, ubi huic illive ſecretioni loco congruo diminutæ aut ſuppresſae actio quædam vicaria alicubi ſuccesſerit. Qua tamen justam et aequabilem materiæ animalis distributionem, qualem ſecernentium organorum actiones primitivæ moliuntur, neutiquam effici posſe, nobis perſuaſum est. Deinde quoque organa vicaria, præterquam, quod materiæ, quam edunt, ſibi incongruæ non posſunt non offendi ſtimulo, de primitivis actionibus ſuis detinentur. Quatenus autem quodlibet organorum ſecernentium aut vitæ propriæ tuendæ, aut aliorum ſuſtentandorum cauſſa materiam ſui generis largitur;

tur, eatenus actiones horum vicariæ, quantumvis ceteroquin de conſervanda aliorum integritate necesſariae, modo relativam aegris incolumitatem praeſtant.

§. V.

Quaelibet actio vicaria, indolem ejus ubi ſpectas, primitivae usque adeo ſimilis est, quoad pro peculiari partis eam ſubeuntis fabrica fieri posſit. Eapropter etiam in effectu ſuo utraque eatenus tantum conſpirat, quatenus hunc ſconcentum major minorve organorum affectorum ſimilitudo ſpermittit; etsi latex ab organo alterius vicem ſupplente ſecretus nunquam ſinceri et primitivi indolem perſecte nanciscatur. Id quod tum decubitus lactei, materiam ſaccharo et butyraceis partibus orbam referentis, tum abscesſuum ſecundariorum, qui laticem puri ſincero admodum disſimilem largiuntur, exempla comprobant.

Interim vero, ſecretionum diverſitatem atque metastaſes generatim non topica ſolum or-

organi vicarii, ſed chemica quoque humorum immutatione niti, obſervationibus nonnullis, de quibus inter omnes conſtat, ostendere conabor.

§. VI.

Quantum actio quaelibet vicaria eam, quam occupaverit, partem non poſſit non plus minus affligere, jam ex functionis huic peculiaris mutatione conjecturari licet. At multo luculentiori eventus memorati documento nobis inſerviunt ipſius fabricae organicae transformationes, quas ob anomalas partium vitalium actiones haud raro naſci conſtat.

§. VII.

Sicubi ceſſantem organi qualiscunque actionem primitivam partes fabrica uſuque illi omnino diſſimiles compenſare moliuntur, hujusce actionis ſuppletivae proles ab illa primitivae notis haud obscuris differat, neceſſe eſt. Ita verbi cauſſa materiae ſerpiginoſae ſecretio, ubi de

de cuti ſubito pulſa hanc illamve generis musculoſi partem prehenderit, ibidem facile ſpasmis aut paralyſi, ad cerebrum autem converſa deliriis vel epilepſiae anſam praebet. Etſi huiuscemodi in exemplis nullam prorſus mutationem chemicam nec ſecretionem novam obſervaveris, analogia tamen inniſum coniectare te oportet, modo relata sanitatis incommoda haud accidere poſſe absque aliqua ipſis priore humorum ſecernendorum immutatione chemica.

§. VIII.

Leges, quibus actionum vicariarum geneſis obtemperat, auctore quidem cel. Brandisio *), sympathia organorum congenita innituntur, quam idem a conſenſu, nunquam non partium diverſarum conſociationem per nervos ſuppo- nente, utique differre arbitratur. Quemadmodum porro aliqua, licet perſaepe accidentalis actionis cuiuslibet vicariae cauſſa in organo eam ſubeunte ipſo proſtet, neceſſe eſt: ita quoque

*) l. c. p. 29.

que generatim universimque singulae actiones primitivae, debiles aut sublatae, privorum organorum suppleri solent ministerio; atque memorato quidem operi suppletivo nunquam non ea inprimis organa accommodata esse, quibus quoad fabricae usus que similitudinem maxima cum partibus affectis necessitudo intercedat atque conspiratio, argumentis tum ex contemplatione tum ab experientia petitis evinci potest.

Incassum et ab insigni, quo potissimum interveniente organa complura mutuo ad se referri Brandisio persuasum est, nervorum nexu seu consensu, et ab arteriarum venarumque subtilissimarum anastomosi (in mammis exempli gratia uteroque, partibus ceteroquin inter se mirabiliter conspirantibus, licet nexu vasculoso fere omnino liberis), nec non a latente cerebri mentis emporii aliorumque organorum consociatione illius phaenomeni rationem tibi posces. At utique magis hanc veritatis studioso accessam reddere videtur sedula necessitudinis primigeniae, quae iam apud embryones organa haec inter illaque obtinet atque corpore postmodum effor-

efformato perdurat *), hodie nondum ſatis cognitae perſcrutatio. Numeroſis quidem partium originitus deformium aut penitus deſideratarum exemplis, quorum tantum hoc commemorabo, quod in monſtris acephalis renes ſuccenturiatos, partim et hepar aliaque organa glanduloſa nimiae exiguitatis vitio laborare inciſores diligentes conſpicati ſunt, ſatis ſuperque oſtenditur, non tam viſibili partium ſolidarum connexioni, per anatomen exploratae, quam occultis potius materiae vitalis niſibus cauſſam adſcribendam eſſe, qua efficiatur, ut organorum quodvis modo alterius inchoet perſietque miniſterio.

Aliis in exemplis certus quidam energiae vitalis in partibus diverſis modus, ad humorem in illis ſecernendum proprius, rationem ſecretionis vicariae vel omnino morboſae continet.

Etenim, quo remotiores a corde abſunt arteriæ, eo magis latex ipſis circum agen-

*) vid. Autenrieth *Handbuch der emp. Physiologie* 3 Th. p. 258.

agendus viribus ſtimulatricibus orbum longoque itinere fesſum ſese praeſtat. Id quod jam ſanis in corporibus minore partium extremarum calore quodammodo evincitur. En! quoque rationem, ob quam inflammatio podagrica in robustioribus modo pedes, in debilioribus genua, in decrepitis denique aut ſummo ſtimuli inquilini defectu laborantibus abdomen occupet.

§. IX.

Actionum vicariarum nulla ſupprimi poteſt, niſi alia quaedam huic ſucceſſerit eaque vel primitiva, vel itidem vicaria. Cui tamen legi ſeſe firmiter adſtringi neutiquam patiuntur tum actiones ſuppletivae eae, quae miasmatibus ſpecificis, tum aliae nonnullae, quae actionibus periodicis, aut primitivis aut fortuitis, originem debent. Sunt miasmata nonnulla, ut varioloſum, morbilloſum aliaque complura morborum epidemicorum contagia, quae ſi corpus univerſum aliquamdiu inexplicabili modo affecerint, irritamentorum ſpecificorum vim naturamque ita prorſus deponunt, ut organa his offenſa functionem

nor-

normalem ſuam ultro recipiant. Ea quidem ratione suppurationes aliaeque secretiones abnormes, morborum effectus, supprimi poſſunt absque metaſtaſi aut nova quadam actione vicaria eas subſequente.

Alia miasmata, in quibus venereum, leprosum, ſcabioſum aliaque fortasſe ſunt morborum longorum principia inviſibilia, remediis quibusdam veluti antidotis, iuſto tempore adhibitis, nociva ſua in organismum poteſtate ita privari poſſunt, ut absque omni actione vicaria superveniente dispareant. Eandem poſtea vim ſpecifica illa medicinae remedia, teſte Brandisio *) in actiones vicarias ipsas habent.

Sunt porro diverſae morborum formae, ut arthritis, eryſipelas etc., quae aliorum organorum aegrotantium actiones compensare videntur. Iisdem igitur nonniſi localiter fugatis, ſeu temere ſuppreſſis, actio primitiva, ob quam turbatam natae erant, tam raro revertitur, ut po-

*) l. c. §. 8.

potius, saltim eiusmodi in exemplis bene multis, actio vicaria nova iis partibus deferatur, quarum reactioni vitali maxima cum caussa abnormiter stimulante necessitudo intercedit. Generatim vero aliae actiones suppressae, et primitivae et vicariae, alias partes habent vicibus suis peragendis idoneas. Ut ideo in diversis morbis modo singulae organorum amplissimorum partes diverso modo adficiuntur et reagunt, scabies e. g. perraro glandularum cutanearum in facie dispersarum, facillime contra earum, quae digitorum involucra occupant, secretionem pervertit, atque vicissim crusta lactea ceteras partes rarius et minus, quam faciem, affligit: ita fere quaelibet actio vicaria suas adamat partes.

§. X.

Quamvis absque priva partium singularum fabrica et compositione indeque pendente energiae vitalis ratione, nulla secretionum diversitas locum habeat generatimque certus quidam vis vitalis in partibus diversis inquilinae modns ad humorem secernendum necesfarius sit: multae

ta-

tamen observationes unam aliquam secretionum discrepantium caussam in chemicis humorum mutationibus quaerendam, nec mere localem exhibent. Cel. quidem Brandisius in libro supra citato discrepantes de phaenomenorum relatorum caussis auctorum sententias subtiliter examinavit et complura opinionum commenta, tum ab humoristis, tum a pathologiae solidorum conditoribus profecta, ingeniose refutavit.

Primum enim medicorum bene multi, cum viderent, plurimas actiones vitales directo stimuli cuiusquam materialis in organismum influxu excitari, non solum pleraque oeconomiae animalis phaenomena, sed etiam metastases inde explicare studuerunt, rati scilicet, organum quodlibet suppletivum ad secretionem insolitam ipsi subeundam specifico materiae heterogeneae eiusque vasorum lymphaticorum ministerio a loco prius affecto ad partem recens offensam transportatae incitari stimulo. Cui demonstrationi, maxima ex parte pathologiam humorum redolenti, instar omnium hasce rationes Brandisius opponit:

 Omnes

Omnes metaſtaſes, quibus exortis actio ipſis prior prorſus deſinit, modo hac cesſante inchoant,. cum nihil amplius, quod abſorberi poſſit, in organo primitivo ſecernatur. Quamdiu autem in hoc ſecretio ipſi propria ſecundum copiam indolemque laudabiler evenit, ita quidem, ut vaſa lymphatica materiae abſorbendae tantum habeant, quantum huius capere poſſint, metastaſis nulla in conſpectum venit.

Quicquid laticis ſecreti vaſa lymphatica abſorbeant, in his ipſis interveniente actu chemico-organico penitus mutatur.

Quod porro pathologiae nervorum conditores contendunt, quemlibet ſtimulum ſpecificum ſeu externam actionis cauſſam in organo quodam ſecernente apprime nervos afficere, cum omnes ſecernentium organorum actiones inſcio et invito homine fiant, ad opiniones precarias referri debet. Multo adhuc magis improbabiliter ſumunt, ſtimulos hanc illamve ſyſtematis ſecernentis partem adficientes, inde ad alia organa ſecernentia reagere ibique mente

pe-

penitus inconscia vim eminentiorem ipſi propriam oſtendere. Id quod, licet interdum in quibusdam partium remotorum actionibus contra naturam excitatis, proſtante quidem ſtimulo nervis illato locum habeat, tamen in metaſtaſibus veris non accidit.

Denique nec DARVINI placitum de incitatione motuum vitalium per aſſociationem, nec illud HUFELANDI de virium antagonismo ad explorandam metaſtaſium naturam et originem, iudice BRANDISIO, quidquam conferre videtur, utpote cum actiones vicariae non excitatis, ſed ceſſantibus primitiuis adducantur.

§. XI.

Praecipua argumenta ſententiae meae, ſecretionum diverſitatem, itemque metaſtaſes generatim, non topica ſolum organi vicarii mutatione, ſed ſimultanea quoque humorum immutatione chemica effici, hisce continentur:

1) Perpetuus ille mutuusque partium organicarum diverſiſſimarum, quae corporis eiusdem ſunt, nexus et influxus cuiuslibet organi actio-

actionem secernentem eodem modo originitus constituit, quo humor secretus ab alio quodam organo recipiatur, necesse est.

Quapropter mammis puerperarum exilibus et depressis, aut subito collapsis, quae initio turserant, facile decubitus lacteos vel abdominis in latebris et recessibus, vel alibi evenire; hepate morbis afflicto ideoque bili secernendae impari, cutim, oculos, interdum totam telam cellulosam ipsaque adeo ossa flavescere; perspiratione cutanea suppressa, urinae copiam augeri aut ventris profluvia supervenire cernimus.

Simulatque sanguis, communis omnium humorum veluti mater, in organo hoc illove secernente aliquod elementorum suorum, e. g. carbonicum, ad conservandam humoris ibidem secernendi qualitatem legitimam, solito copiosius deposuerit, deficere non potest, quin postea in latice residuo reliqua ipsius elementa principatum teneant. Eadem igitur iuvante vi vitali serius ocyus novam crasin subibunt; at sanguini originario nonnisi leviter iuncta, ubi denuo organi cuiusquam vim attractivam pati coeperint, a latice primitivo penitus seiungentur.

Item-

Itemque metaſtaſes oriri poſſunt, dum naturales organi cuiusdam functiones languent, neque ideo humoris ſecernendi partes elementares a ſanguine expedite ſecedunt. Cutis perſpiratione ſuppreſſa, ſanguinis particulae alias materiam transſpirabilem largientes neceſſario in illo remaneant et ab organo quodam, quod earundem attrahendarum vi ſimili pollet, ſecernantur neceſſe eſt. Quare, hoc ubi accidit, renes majorem urinae vel quoad indolem ſuam mutatæ copiam edunt vel alvus liquida ſuppreſſum lotium ſubſequitur; quamquam ceteroquin praeter chemicam attractionem nunquam non certa quaedam organorum ad humores ſecernendos ratio dynamica ſecretionis vicariae locum definiat.

Huc etiam pertinere videtur, quod inſignis humorum diverſi generis in corpus receptorum, licet prius nunquam non ſanguini admixtorum, copia ſecretricem actionem ſingulis organis propriam disſimili modo auget. Ita nimirum cereviſia hausta lotii ſecretionem magis augeri, quam aequali vini copia, lacte porro a lactantibus largiter ingesto magis,

gis, qnam alio qualicunque potulenti genere, ad opus galactopoieticum incitari ubera, quotidianæ obſervationis fide ſatis ſuperque evictum est. Quid? quod adeo virtutis, quam pharmaca nonnulla, verbi caussa hydrargyrum, belladonna, cantharides, etc. in hanc illamve organismi partem exerunt, ſpecificae exempla illam affinitatem dynamicam, quæ res externas inter diverſaque corporis his adfecti organa intercedit, comprobare videntur.

2) Metastaſium hujusmodi origo haud raro ſubitanea, minime partium his afflictarum fabricam jam aliquamdiu peculiari vis formativæ in ipſis inquilinae vitio laborasſe ideoque subeundis ſecretionibus morboſis et vicariis veluti ſenſim accommodatam esſe, ſed potius cujuslibet ſecretionis loco inſolito contingentis causſam præprimis in ipſa humorum ſecretorum natura et indole quaerendam esſe, ſatis declarat.

Ut enim pus naſcatur, vulgo quidem opus est inflammatione quadam topica, quam

in omnibus et ſingulis corporis partibus ſimilia ſibi accommodare organa, morbo ſemper priora nec ob hunc demum nata, quotidiana docet hujus phænomeni obſervatio. At pro re nata interdum accidit, ut ſuppurationes magnæ absque omni praegresſa partium affectarum labe, a causſis in corpore univerſo inquilinis prodeant. Ita non pasſim tantum in tela cellulosa intercuti ſua ſponte abſesſus magni attolluntur, ſed multo quoque ſaepius magnam puris copiam a pulmonibus ſecretam per longum tempus rejici videmus, nulla tamen poſt obitum inflammationis nota in cadaveribus conſpicua.

3) Denique ex eo, quod ſaepisſime humor ab organo vicario ſecretus, quamvis ex peculiari hujus fabrica et actione, privam indolem nactus, tamen et quodammodo ei, cujus inopiæ ſupplendæ inſervire debet, haud abſimilis est, colligere utique licet, phænomeni illius causſam et originem neutiquam a ſola partis actionem vicariam ſubeuntis mutatione dynamica, ſed inprimis a diverſa

hu-

humorum qualitate repetendam esſe. Qui enim ſola organi ſuppletivi, quoad fabricam et functionem ſuam a primitivo ſaepe penitus discrepantis, actione vitali abnormi humor alibi ſuppresſo interdum ſimillimus produci posſet, nisi jam antea ſanguis eam nactus esſet qualitatem, quae organum ſuppletivum pro facultate attractiva ſeu electiva ipſi propria, itaque legum chemicarum ſub ditione et imperio, ad ſubeundas ſecretiones inſolitas adigeret? Qui itaque, hoc ubi non esſet, verbi causſa tela cellulosa pulmonum et muſculorum abdominalium, tractus intestinorum, glandulae ſalivales, imo adeo renes, et ſic porro, partes ſibi invicem utique disſimiles, poſt ſuppresſam mammarum actionem originariam, laticem lacteum in ſe reciperent?

§. XII.

Sicut tamen diverſarum ſecretionum perinde atque nutritionis causſa proxima non tam

tam in diverſa humorum qualitate, quam potius in peculiari organorum proſtantium fabrica quærenda est; ut porro ſanae uberum muliebrium glandulæ humorem lacteum, inflammatae pus, ſcirrhoſae demum ſaniem emittunt; ut osſa viciſſim materiam osſeam, musculi materiam fibroſam, arteriae cruorem etc. ſecernunt; ut tandem ſteatomata per eandem, ex qua ſe ſemel orta ſunt, materiam increscunt: ſic etiam ſimilium ſimilibus attrahendorum lege contineri videtur ratio, ob quam morbosae puris et lactis depoſitiones perſaepe incredibilem ejus, ex qua ortae sunt, materiæ largiuntur copiam.

§. XIII.

Quemadmodum in œconomia animali leges vim plasticam et attractivam regentes arctisſimo continentur nexu mutuo: ita quoque virium utraque eandem in ſecretiones diverſas habet potestatem. Earum vero licet

omnes atque ſingulæ invicem junctæ occurrant, aliae tamen ex his coordinatae atque ſimultaneae, aliæ ſubordinatae ideoque diverſis temporibus eveniunt. Sic nimirum lactis ſecretio in gravidis modo ob ſecretionem uterinam ipſa; priorem inchoat. Sic porro in ſexu potiore barbae eſſloreſcentis vocisque gravioris phaenomena inchoatam ſeminis ſecretionem indicant.

§. XIV.

Ejusmodi ſecretiones temporariae, a continua corporis mutatione pendentes non minus, quam eae, quæ totam hominis aetatem comitantur, ad conſervandam materiae organicae integritatem necesſariae ſunt. Pleraque videlicet phaenomena graviditatis inprimisque lactis ſecretionem contemplantes, non posſumus non eadem ad ſimultaneam mixtionis organicae mutationem revocare. Quare etiam Brandisius*) „dubio procul“ „inquit“ to„tum lactis ſecernendi opus, uberibus propri-

*) l. c. p. 44

„prium, largisſimae illi ſecretioni uterinae, „quae graviditatem comitatur, ſupplendae in„ſervit ideoque inprimis deſinente lochio„rum fluxu adaugetur etc.“ Praeterea lactis in ſecretionem reſpiratio quoque et principia ſibi oppoſita, oxygenium et hydrogenium, vim habere videntur haud exiguam *). Etenim cum in gravidis pectus coarctatum ſpiritum non libere duci et emitti permittat, ſimulque aliqnam **) oxygenii partem materno ſanguini inhaerrentis in foetus uſnm verti credibile ſit, non poteſt non majorem in modum perturbari ſanguinis oxydatio. Hoc praeprimis incommodo humores ad mittendum laticem lacteum, in quo albumen, hydrogenio opulentisſimum, prae ceteris partibus eminet, proclives reddi certum eſt. Saltim reſpirationis beneficio chylus lacti ſimilis in ſanguinem rubrum transformatur, ve-

*) v. Reil *über die Erkenntniss und Kur der Fieber* 3 *Th. p.* 377.

**) Schreger de funct. placent. uterin. Erlang. 1799. Conf. I. G. Walter Remarqu. sur l'art d'accouchem. Berlin 1807.

veluti chylus equorum aeri expofitus fenfim colorem rubrum induit. Albumen fero contentum oxygenio quidem coagulatur, attamen et hydrogenii fecesfio hancce coagulationem efficere videtur, quoniam hoc disfipato lactis inftar albefcit. Lac denique album verum apparet post partum, ubi pectus utero exonerato levari fpiritusque melius duci coeperit.

Quin etiam fecretiones cruentae, quae post fuppresfum menftruorum fluxum in locis incongruis evenire solent, univerfalibus mixtionis organicae legibus niti videntur.

Huc quoque fpectat ea morbi historia, quam prius a MARTINO *) literis confignatam paucis repetere juvabit. Vir quidam plethoricus longa coitus abftinentia feminis excretionem fingulis annis redeuntem eamque tam acrem fibi contraxit, ut in urethra partibusque femine forte inquinatis ardorem vehementem et inflammationem ferpiginofam efficeret

*) Memoires et obfervations sur divers objects de Chirurgie et Medicine. p. 387.

ret. Aliquamdiu post ejusdem indolis materia per alvum excerni coepit cum insigni intestini recti ardore et inflammatione. Tandem in utraque vola manus epidermis praeter modum incrassari punctisque albidis sensim sese desquamantibus obtegi coepit. Et quod inprimis notari meretur, aeger toties, quoties feminas formosas cum veneris desiderio conspiceret, dulcem calorem in manibus quando confricaret, cum voluptatis sensu per totum corpus, exceptis tamen verendis, dissipato persensit, in animi deliquium tandem desinente.

§. XV.

Utero in mulieribus ceteroquin sanis contra naturam deficiente, menstrua nulla apparent. Itemque in castratis barba jam nata vel defluit, vel quae nondum adsuerat, nunquam prodit. Itaque diversae, quae in homine eveniunt, secretiones temporariae a primitivis et continuis ea nota differunt, quod cessantes nulla organi secernentis actione vicaria supplentur.

§. XVI.

§. XVI.

Cum quaelibet mutatio causſae motus vitales efficientis in omnium ſecretionum aequilibrium vim ſuam exerat vitaque in univerſum non tantum partium ſingularum metamorphoſi et ſeparatione, quam potius connubiorum multiplicium inter has accidentium conficiatur miniſterio; cum porro organa cuncta atque ſingula eo nexu mutuo contineantur, ut perturbato ſecretionum aequilibrio partium adeo ſimilium aliae plus, aliae minus affligantur: facile patet, quanta cum ſecretionum abnormium, tum ſtatus virium vitalium in morbis diverſisſimis, quantaque igitur metastaſium non posſit non deprehendi diverſitas. In hanc vero diligentius inquirere, cum angusti disſertationis limites non permittant, ad ea, quae celebris Brandisius in libro ſuo acutisſime expoſuit, plura deſiderantes ablegare liceat.